



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VII. Perperam Arianos in suæ hæresis patrociniū advocasse
Epistolam Dionysii Alexandrini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

7.
Probatio
ulterior con-
tra orige-
nem.

Postremo etiam ex libris contra Celsum, quos nullam violationem subisse posset negari, affirmante doctissimo Huetio Origenianarum Quaest. pag. 233. corruptos esse libros, quotquot ex Origenianis ad nos fortuna transmisit: ex libris, inquam, contra Celsum comprobatur propositio. Nam lib. viii. hæc habet: *Religiose colimus Patrem veritatem, & veritatem Filium, duos quidem substantia, unum vero concordia, consensu, & voluntatis identitate.* Neque enim Græcum nomen *hypostasis* sumitur hoc loco pro Persona; siquidem post assertam distinctionem personalem commemorasset unionem substantiæ, non voluntatis concordiam: qua elidunt Ariani Christi verba: *Ego, & Pater unum sumus.* Præterquam quod prisceis temporibus *hypostasis* pro *usua* usurpabatur, ut constat ex Epist. Hieronymi 57. ad Damasum. Videtur tantum addere *usue* substantiam, ita ut diversæ *hypostases* sint diversæ *usue* ultimæ, & individuae, sed multiplicata hypostasi etiam multiplicetur natura. Dixi prisceis temporibus, & præcipue apud Origenem, qui personas appellare solet *ἰδιότητες*. Nunc hypostasin solam substantiam, ac personæ rationem designare nullus ignorat.

8.
Defensio O-
rigenis Georgii
Bulli.

Multa sunt, quæ ex his contra Celsum libris pro Origene profert Georgius Bullus. Huiusmodi sunt, quod lib. i. i. Verbum Deum, ac Dei Filium, sapientiam, veritatemque compellat. In iv. Christum immortalem, incorruptibilem, & passionis expertem, quantum ad substantiam divinitatis, fatetur. Affirmat in v. omnem creaturam transcendere, & præexcellenter habere divinitatem. Ait in vi. Primogenitum, qui factus non est, neminem nosse, quomo-

do Pater, qui eum genuit; neque Patrem quisquam, sicut animatum ejus Verbum, veritas, & sapientia. In vii. definit Filium non esse separandum a Patre, neque in Deo esse tantummodo triæ appellationis vocabulum.

Speciosa sunt ista, sed tamen in ore Origenis valde suspecta. Nam si cum Platone gradus in divinitate constituit, ut inquit Justinianus, & ex Patris substantia, non ex nihilo genitum, sed tamen creatum Verbum Dei pronuntiavit, ut docet hæresi 64. Epiphanius; contegunt hæc omnia verborum cortice perfidia medullam, non prædicant incontaminatam de Trinitate doctrinam. Dixerit ergo Origenes Dei filium, Verbum, ac sapientiam, quia genitus a Patre, & invisibilis ejus imago; impatibilem quoque & immortalem, cum sensilis non sit, nec materiæ commixtione partibilis: non factum, non creatum, quatenus non est eductus e nihilo. Dixerit notum soli Patri, unumque cum eo unitione substantiæ; quoniam cæteras Dei imagines supergreditur: potuit nihilominus credere Filium inferiorem gradu altissimæ divinitati, atque ad eandem spectare tanquam individuum ad speciem. Hæc namque sunt Origenianis principiis coherentia. Quædam alia afferunt Apologistæ, sed ex libris, quos Rufinus flagitiose detruncavit, aut ex lacinis, quas temere affixit. Atque hæc est sententia nostra de viro aliquo clarissimo: cujus doctrinam non semel Romana Ecclesia damnavit; Animam vero cum Ario torqueri in inferis legitur in Prato Spirituali apud Bellarminum de Script. Ecclesiasticis: quod num verum sit, ille novit qui habet claves abyssi.

9.
Refutatio.

C A P U T VII.

Perperam Arianos in suæ hæresis patrocinium advocasse
Epistolam Dionysii Alexandrini.

S U M M A R I U M.

1. Habetur Notandum historicum.

2. & 3. sunt illationes pro Dionysio Alexandrino.

1.
Quid de
Dionysio
Alex. senti-
endum.

SUPPAREM Origeni Dionysium Ariana dogmata præformasse, & Anomæorum impietati semina præbuisse scribit Magnus Basilus in Epistola prima, & quadragesima; & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 4. Gennadius. At celebrem virum defendunt Athanasius in peculiari libro, quem edidit de sen-
R. P. Berti Theol. Tom. II.

tentia Dionysii, libro x. Facundus Herm. & recentiorum Theologorum quamplurimi. Neque controversia difficilis est, si rerum gestarum ordinem teneamus: quod, ut facilius percipiatur, dabo operam, ut ex ipso Athanasio, cujus libri contexam epilogum, Dionysianam historiam intelligamus.

P

Cum

Historia ex
Athanasio de
Dionysio
Alex.

Cum itaque in Pentapoli superioris Lybiae quidam Episcoporum sententias Sabellii fuissent amplexi; Dionysius recognita, ut eos à pravis opinionibus revocaret primum legatos misit: deinde nihil de stultitia remittentibus, coactus est ad illorum retundendam improbitatem Epistolam scribere; in qua Evangelicis testimoniis humanitatem Christi comprobavit, ut Filium Dei abnegantes, & Patri ipsius imputantes humanam, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem factum esse doceret, eosque, demonstrata distinctione personarum, paulatim ad credendam Filii divinitatem perduceret. In hoc vero Dionysius & simile habet cum Ario, & exemplum secutus est Petri, Pauli, Stephani; qui in Apostolorum Actis antequam enunciarent Christi divinitatem, eundem esse hominem ac Reparatorem semini Abrahæ promissum collatis Prophetarum textibus prædicarunt.

Accepta Dionysii Epistola Pentapolitani illum apud Romanum ejusdem nominis Pontificem detulerunt, ejus scripta non integre, neque bona conscientia, sed pro libidine, juxta obstetricatorum consuetudinem, recitantes. Tria autem fuerunt præcipua accusationis Capita. Primum quod Christum non semper fuisse in laudata scripisset Epistola, & Patrem aliquando sine Filio nominasset. Quam priorem accusationem repellit in Apologia, quæ sola ad Arianos damnandos sufficiens est, affirmans se de Christo ut homine fuisse locutum, ut divinarum personarum ex Incarnationis mysterio ostenderet distinctionem; prout susceptum adversus Sabellianos institutum postulabat. Videndum ergo erat qua occasione, & ad quos homines dedisset Epistolam; & observandum etiam agricolas pro subjecti soli ratione curare arbores, nec minime culpandos esse si unam inferant, istam amputent, evellant alteram. Cæterum nomina Patris & Filii inseparabilia proficitur, & Verbum semper Genitori suo coexistisse. Accusationis pars alia fuit, non scripisset Dionysium quod Filius genitus sit à Patris substantia: quam impietatem suppledit, obtestans se hæc de sola natura humana enunciasse, & firmissime credere Filium Patri Consubstantialem. Ad eandem rem ait, allata à se exempla agricolæ & vitis, fabricatoris & navis: quorum primum etiam Evangelii testimonio Christi designat humanitatem. Addebant Pentapolitani & tertium crimen, appellavisse Dionysium Verbum à Patre conditum; quod profligat

& excutit affirmans se voces illas adhibuisse, ut ostenderet non Patrem esse, sed Filium, qui creatum, conditum, & factum corpus induerit; ac proinde Filium, ut hominem, factum, conditum, creatumque censeret. Uno verbo, Dionysius Personarum distinctionem contra Sabellianos propugnat, radice & planta, fontis ac fluvii additis comparationibus; ut intelligerent Adversarii non esse unicam in divinitate Personam.

Ex hac historica narratione, quam ex memorato libro Athanasii, & inserta ipsius Dionysii Apologia iisdem fere verbis exscripsi; tria apertissime consequuntur. Primum, tertio Ecclesiæ sæculo ubique terrarum dogma de Verbi divinitate obtinuisse; in Romana Ecclesiæ, ubi Dionysius Papa acceptis Pentapolitanorum literis adversus Alexandrinum coegit Synodum, iussitque ut illatis accusationibus responderet, quemadmodum is fecit memorata exquisitissima Apologia: in Lybia, ubi Ecclesiæ Antistes dogma de Verbi creatione execrati, apud summum Ecclesiarum omnium Præsulem, Alexandrinum Episcopum accusaverunt; & apud Aegyptios, ubi Dionysius illatam sibi calumniam repulit, & de Verbi consubstantialitate tam illustria reddidit testimonia. Sequitur secundo Dionysii sententiam non ex priori Epistola ad Ammonium, & Euphranorem pensandam esse, sed ex quatuor præfatæ Apologiæ libris; ex illa autem Sabellianam hæresim profligari, ex his Arianam. Infertur ultimo Basilium fidem Dionysii vellicare, propterea quod solam ejus adversus Sabellianos Epistolam legerit, Romæ accusatum noverit, & sparsos rumores audierit: quod haud obscure citato loco his verbis significat: *Impietatis Anomæorum: quantum scimus, primus iste humano generi semina præbuit: causam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius oblectari cuperet.* Potius ergo credendum Athanasio, qui scripta omnia Dionysii pervolvit, atque de ipsius mente librum edidit peculiarem: nec audiendus Gennadius Basilianæ Epistolæ lectione deceptus.

Ne autem in Historia Ecclesiastica peregrinos nonnihil commoveat Chronicon Eusebii, in quo ponitur obitus Dionysii Alexandrini anno ante electionem Dionysii Romani; unde illius Apologia censeret adulterina: notandum est, eundem Eusebium istius Apologiæ meminisse lib. vii. H. E. cap. 26. Chronicon vero ita corrigendum esse, ut

Diony-

2.
Defensio tri-
plex Diony-
sii.

3.
Nota ex
Chronica
Eusebii circa
Dionysium.

Dionysius renunciatus fit Papa die 20. Julii anno Aeræ vulg. 259. quo capto Valeriano à Sapore Persarum Rege solus regnare coepit Gallienus, obierit autem regnante jam Aureliano die 26. Decembris anno 271. Dionysius vero Alex. vita functus fit xii. anno Gallieni, id est Aeræ Vulgaris 266. Quæ constant ex anno passionis Xysti coronati martyrio, Cos. Tusco, & Basso, id est,

anno quo occubuit Cyprianus, 258. & ex Epist. Synodica secundi Concilii Antiocheni ad Dionysium, de qua Eusebius in vii. H. E. cap. 30. Quodenim Dionysius successerit Xysto post xi. menses, diesque 17. & præfata Synodus coacta fuerit sub Aureliano circa annum 270. luce meridiana à Cl. Schelestrate Dissert. 2. Antiq. Eccl. redditur manifestius.

C A P U T VIII.

Exploditur Socinianorum de sententia Athanasii insignis hallucinatio, & de Symbolo nomine ejusdem inscripto variæ recitantur opiniones.

S U M M A R I U M.

1. & 2. Defenditur Athanasius contra Arianos.
3. Proponitur status quæstionis circa Symbolum dictum Athanasii.
- à num. 4. usque ad 10. Producentur argumenta pro Sententia negativa una cum eorum solutionibus.

à num. 11. usque ad 15. Afferuntur rationes pro Sententia affirmativa.

16. Inferitur hanc quæstionem esse reponendam inter problemáticas.

I.
S. Athanasius & Symbolum ejus impugnatur.

NEQUE Athanasio, qui Nisænæ Synodo anno 325. interfuit, pugnavitque contra Arianos glorioso certamine Fidei causa atrocissimas persecutionum procellas imperterriti animo perpeffus, Hæreticorum malevolentia pepercit. Docuisse illum, Patrem Filiumque unum esse sola voluntatis concordia, & dogmata pugnantia cum Symbolo, quod appellant Athanasianum, contendit Wolzogenius tom. 2. pag. 307. opponens Dialogum 1. de Trinit. ex Interpretatione, ut advertimus, Theodori Bezae. At hostes permiscet Socinianus, victosque victoribus. *Nos quidem*, ait Athanasius Orat. 1. contra Arianos n. 9. *ex divinis Scripturis libere, & confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam tanquam lucernam super candelabrum collocantes, dicimus: Filius verus natura, & genuinus est Patris, ejusque substantiæ proprius, sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum ipse est Dei, non res creata vel facta, sed proprius substantia Patris fetus. Quocirca Deus est verus, veroque Deo consubstantialis existit.* Quam piam, rectamque fidem beatissimus Athanasius ubique confirmat.

2.
Defensio contra Wolzogenium.

Fallitur ergo Wolzogenius, & non quidem uno, sed duplici errore, utroque autem palmari. Error primus est, quod non adverterit in præcitato Dialogo post voluntatis, & concordie unitiorem, etiam statui identitatem substantiæ, & omnem aliam in Deo negari di-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

inctionem præter eam, quæ ex opposita relatione oritur. Nam petenti paullo post Anomæo, *Nulla est igitur differentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* respondet Orthodoxus. *Nulla sane neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, sive emitti, inter se differunt.* Ex quibus constat etiam in hoc Dialogo Catholicam contineri sententiam, ac Wolzogenium maxima oscitantia, aut execrabili peccare malitia. Alter error est, & supinus, quod tribuit Athanasio Dialogos de Trinitate, quos illi abiudicant Eruditi. Joannes Garnerius in supplemento adscribit Theodoreto, Franciscus Combesius, Rivetus, Dupinius tribuunt Maximo fortissimo Monothelitarum debellatori. Petuntur prioris sententiæ argumenta à tempore & scopo Auctoris, quem ex Dialogo tertio liquet scripsisse post Secundam Synodum, & agere singillatim adversus hæreses etiam Athanasio posteriores. Quæ Garnerii conjecturæ probant Dialogos non esse Athanasii, sed eas facile evertent qui Dialogos adscribunt Maximo. Citant hi per antiquos Codices Romæ, Venetiarum, Ducangii, nec non Gregorium Protosyncellum, Acyndinum, Demetrium, aliosque Græcos, qui eos laudant sub nomine Maximi; styli quoque & phraeos observant similitudinem. His ego potius assentior, quam Garnerio: sed quidquid sit de vero Dialogorum Scriptore;

P 2